



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De messe & vindemia. cap. lviii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

A opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Quænam mirabilia? Mare ad nubes usque *Psal. 106.*
intumescens, terram in mediis aquis elucentem, nauim è sublimi fluctu pendentem, ac nunc
per vadum cauitatem tanquam in præceps labentem, ac subsidentem, nunc rursus at-
tollentibus sese fluctibus in ærem tanquam funda quadam elatam.

Ventorum impetu ab imo fundo perturbatum mare, atque ingenti vi impulsum, arena
terminos minime transilit. Terminum enim, inquit ille, posuisti, quod non præteribit. *Ve-*
rum cum fluctus è pelago volutus percurrerit, atque æstuans sese excavarit, ac quodam-
modo rugiens intumuerit, & in littora elatus propenderit, diuinam legem in arena im-
pressam legit, statimque refringitur & reuoluitur, ac velut reuerentia quadam ac metu
affectus in caput relabitur, atque in sese dilabitur: nec impostas sibi arenae metas excedit. *Psal. 103.*

B O singulare miraculum! ingens illud atque horrendum mare ab arena, hoc est re instabili,
quæq; facile huc atq; illuc disici potest, tanquã muro quodam obsepitur: ac terra tenuis &
lanuginosa, quæq; à ventis huc atque illuc spargitur, furentes fluctus frænâ ac reprimat.

Mare admirari operæpretium est, cuius beneficio terræ bonorum commutationes inter *Phil.*
se vicissim pendunt: atq; ea, quibus carent, accipiunt, & ea, quibus abundât, remittunt.

De filiabus. CAP. LVII.

C **M**ulier si quippiam voverit, & se constrinxerit iuramento, *Num. 30.*
quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari, si cogno-
uerit pater votum quod pollicita est, & iuramentum quo obli-
gavit animam suam, & tacuerit, voti rea erit: quicquid pollicita
est, & iuravit, opere complebit. Sin autem statim vt audierit, cõ-
tradixerit pater: & vota, & iuramenta eius irrita erunt, nec ob-
noxia tenebitur sponcioni, eò quòd contradixerit pater.

Filiae tibi sunt? Serua corpus illarum, & non ostendas faciem tuam hilarem ad *Eccli. 7.*
illas. Trade filiam, & grande opus feceris, & homini sensato da illam. Filia patri
abscondita est vigilia: & cura ipsius submouet somnum. In filia impudente

firma custodia. Filia fatua in deminoratione est. Filia prudens hæreditatem *26.*
afferet viro suo: nam quæ confundit, in mœrorem fit genitoris. Patrem & virum *22.*
confundit audax: ab vtrisque autem inhonorabitur.

D Volo adolescentulas nubere, filios procreare, matres familias esse. *1. Tim. 5.*

Quòd nemini temerè confidendum sit. CAP. LVIII.

Nolite credere amico: & nolite confidere in duce: ab ea quæ dor- *Mich. 7.*
mit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. Quia filius contumeliam fa-
cit patri, & filia confurgit aduersus matrem suam, nurus aduersus so-
crum suam: & inimici hominis domestici eius.

Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo nõ *Hier. 9.*
habeat custodiam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus
fraudulenter incedet, & vir fratrem suum deridebit.

Coram extraneo ne facias quicquam absconditum: nescis enim quid pariet. *Eccli. 8.*
Non omni homini cor tuum manifestes: ne fortè conuities tibi. Ne consilium
ineas cum homine tibi inuidente: & ab æmulatoribus abstraha consilium tuum.

De messe & vindemia. CAP. LVIII.

VM messueris segetes terræ tuæ, non tondebis vsque ad solum superfi- *Leuit. 19.*
ciem terræ, nec remanentes spicas colliges. Neque in vinea tua racemos,
& grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda
dimittes.